Dąbski Stanislaus
Episc. Vladisl. et Pomeraniae

Bielecki Martini: Panegyricus celsissimo nomini et amplissimo honori D. Stanislai Dąbski Ep. Vlad. – consecratus.
1693.

# PANEGYRICUS
## CELSISSIMO NOMINI,
&
## AMPLISSIMO HONORI,
*ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI,*

# D. STANISLAI
## DE LVBRANIEC
# D A B S K I,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPI VLADISLAVIENSIS, ET POMERANIÆ,

Inter festivos exultantis Poloniæ, & gratulantis Cuiaviæ Plausus,



In Aditu Cathedræ Vladislaviensis Auspicatissimo,

Solenni & Officiosa celebritate,

Nomine Academiæ Cracoviensis,

*A*

M. MARTINO BIELECKI,

*In eadem Alma Universitate Cracoviensi, Philosophiæ Doctore & Professore, Collega Minore, Canonico Tarnoviensi,*

## CONSECRATVS.

Anno Consecratæ per Verbum Incarnatum humanæ Naturæ 1693.

CRACOVIÆ, TYPIS VNIVERSITATIS.


816

# In Gentilitium Insigne,

## Illustrissimi & Reverendissimi Domini.

*Vaticinium Homeri.*

Fundunrur fructus alia magis arbore dulces,
Quam fovet umbrosis felix in collibus Ida,
Hinc ferrum veniet Martis validæq; Secures,
His ubi consistet campis GODZIEMBIA Pubes.





*QVæ viret in rubeo* PINUS LUBRANSCIA *Campo,*
*Vertice cur trino, Sidera clara petit?*
*Nempe hanc, qui inseruit Lechiæ palmaribus aruis,*
*Hic DEUS Armipotens, Trinus & Unus erat.*
*Ne sterilem cense, quæ tanto Numine crescit,*
*Fructus ei Pietas, Gloria Præsul adest.*
DAMBSCIA *quem genuit Domus, at Vladslavia plaudit,*
*Fructum, Laurifera ex Arbore, læta frui.*

# PANEGYRICUS.

CElsitudinem honoris Præsulei, quem Divis auspicibus, & maiestate secundâ adijsti PRÆSUL; Teq; ipsum tàm propriâ ingentium meritorum luce conspicuum, quàm avitis Maiorum splendoribus circumfulgentem, è vero æstimantibus; ex Te maior honos succurrit: qui, id dignationis altùm exornas, vnde cæteris sublime decus accedit. Rara Natalium claritudo, à primo gloriosæ originis suæ, in hac regnatrice Orbis Hyperborei plaga, diluculo, Maioribus continuo illustrium decorum incrementis, insurgens, in Te meridiem laudum accendit; vt illustrares, quicquid indole præcelsâ, specieq; eximiâ beaveris. Intaminato Virtutum, nitore Vita Tua præradians, illustrissimi quantumvis honoris, magnificum templum subierit, diem Phæbo maiorem efficit: atq; etiam magna dentibus nigris carpere solitos, cogit fateri, vt à Sole cælum; ita à Tua præsentia, quem auspicaris honorem pulchrum fieri magis, & decorum. Visenda præclarè actorum Tuorum auges, omnium oculos, ora, vota, plausus, animos, in se advertens & perliciens, exigit, vt omnes præcelsi meriti titulos, redditos magis quàm præstitos sortiri videaris: quantumq; fulgurans auro adamas, tantum illis ornamenti addas. Hæc est Gentilitiæ Tuæ Pini trina summitas; imò hic Tuæ undiquaq; dignissimæ Personæ, ter maximus apex; quo cunctis decoribus di-

 gnior

gnior & altior extas. Is demùm verè debet appellari honos, qui vt præmium rectefactorum, non adulationis merces: vt eximiæ cuiuſq; operæ inſigne pretium non ſegnis ſocordiæ velamentum; vt boni publici, non priuatæ dominationis ſubſidium, ſummis Viris collatus, veris capeſſentium virtutibus ampliùs clareſcit.

Maiorum minorumq; Magiſtratuum inſignia, quid aliud; ſi non in orbibus Rerumpublicarum ſidera ſunt? ita gratiùs aut triſtiùs, nitidiùs aut funeſtiùs Orbi micant, prout melior aut deterior Planeta nomen ſideri dedit: prout nobiliori vel ignobiliori feræ iuſſu Iunonio ſtella obtigit. Claro Scorpionis ſideri tantundem præſtat olorinum, quantum ſincerum ſiniſtro antecellit. dignior ſtella Aquilæ quam Draconis: pulchrior Ariadnes corona, quàm Ophiuchi angvis, & ego Oleniæ ſignum pluviale Capellæ malim, quam Syrij aut Procionis ſidus fulgidum ex maligno. Clara alioquin ex ſe ſidera obſcurant vocabula inamæna: clariſſimis iuxta ac minus lucidis ſplendorem adaugent, illorum phænomena animalium, quibus extra ſiderum aulam, vſu aut opinione mortalium, dotes egregiæ tribuuntur. Ea eſt dignitatum, ea dignitates occupantium conditio, prout privatim bonâ malâq; famâ clari aut obſcuri invaluerant; ita celſioris fortunæ portenta cenſentur vel ornamenta, Soles vel Phaëtones. Quid in Te horum ſimile aut quid non ſimile; cuius excelſiori Lucinæ, tametſi Gentile Domûs Veſtræ militaribus inclytæ trophæis ſignum, horribilis terris, Mars cæruleus præluxerit; non tamen obſtitit: quin ſalutaris ille humano generi & proſperus Iovis fulgor, Te ſapientem ſinè arrogantia, hilarem cum gravitate, pium, continentem, ſanctum, omnium publicè privatimq; virtutum Præſulem fingeret; vt non aliter quàm felicitas, votum, præconium, poteſtatibus ſublimioribus contingeres, & cumulatiorem illis beneficij gloriam tribueres, quàm tribuendo acciperes.

Hæc

Nec longè exempla petantur, fauſtiſſima hac in Cathedram Vladislavienſem inauguratione ſplendidiùs id ipſum quàm alias peragitur. Geminum ſacratioris prærogativæ faſtigium, optimis ante Te fortunatum Præſulibus, cum Tuarum magnitudine laudum viciniùs cælo accedit: altiùs quoq; ſpirare præſumit, cum in Te non ornamentum duntaxat Eccleſiæ, quod Deceſſores Tui præſtiterunt; aſt magnum inſuper decoris eius incrementum futurum, ſperare non ambigat, qui tam pulcherrimæ rei tot luculenta ſpecimina, iam alias edideris. Quid igitur, gratulatus fuerit proſperitati ſuæ non nemo Principum, cum ſibi fortunæ munere locum obtigiſſe; ex quo multis benefacere poſſet. Tu munus hoc Præſuleæ eminentiæ principale, quandoquidem Tuâ ſortitione, longè beatiùs præſtabiliùsq; efficis, nos contra facere iubes: vt publicœ & noſtræ felicitati, Te propter altiùs provectum, impenſiùs plaudamus. Nimirum in hoc rerum temporumq; turbido, quo ſors & virtus candidatæ, fataliſq; ambitus, faſtigijs eminentibus, digna & indigna permiſcent in unum; Tu inter ſerenæ fulgura gloriæ, grandibus pulcherrimarum virtutum adiumentis ſubnixus, prima ſecundùm ſuperos maximi Principis gratiâ, & judicio auguſto, non fragili alternantis fortunæ fauore, in ea Eccleſiaſticæ celſitudinis regione conſtitiſti, unde cælum duntaxat ſpectans, res Divinas ſanctiſſimè, humanas indulgenter habebis, & quarum iſtæ beneficio intelliguntur, ſtant, florent, reguntur, literas, literatoſq; peculiari quâdam propenſione & benevolentiâ fovebis.

Id ſponte non Hetruſcâ ſuperſtitione imbutus divinat animus, quod Tu Antiſtes optime redivivus Maronum Mecænas, non uno iam ſplendidiſſimo opere compleviſti. Dignus ob hæc ſola, per quæ Maioribus in literas beneficijs tuis præludis; vt Te ſacer

Musarum labor, à laudatis mortalium actionibus, tremulum temporis rerum edacissimi senium procul submovens, viventem videntemq; immortalitati consecret dignus, vt non tàm Phæbo, quàm Te digna loqui ac scribere, decora ingenia contendant. Nam hac tempestate, vel ideò veræ solidæq; eruditioni inimica; quia eruditorum in speciem & literarum fucum tantum, non rem priscæ & integerrimæ institutionis habentium feracissimâ, in Te solo spes studiorum, senioris sæculi inclinata recumbit. Tu solus tristes multâ calamitate Camænas, certâ novæ felicitatis sponsione reficis, atq; recreas, Phæbeas lauros, vt sinceriùs perennitati, vireant, magnis pretijs invitaturus, sub triumphalem umbram illius Pini, quæ Atticas olim Posnaniensis Academi excrescens in silvas; nunc visendos vnaq; tranquillos Musarum recessus, palam spectantibus offert. Veneramur sacram hanc Arborem, LUBRANSCIANI & DABSCIANI Clarissimi vtriusq; Sanguinis vnam; ac posthumæ Tuæ post magnos LVBRANSCIOS, in Nos Musasq; nostras beneficentiæ vadem prædemq; augurio & votis ominati, literatis obsequijs donisq; propitiamus. Donorum eiusmodi exhibitor ego, quis & quantulus è luco Iagellonij Apollinis, in Clarissimam disertissimi sæculi lucem prodierim, vestigium labans, trepidæq; manus, Verba ægre eluctantia, acies luminum ad insuetum diem obtorpens declarant. Cæterùm illustrissimo sideri quo Orbis videt, matutina quoq; ad meridiem umbra præludit, & ne dum cygni alta canoros dant per colla sonos, cicadæ quoq; obstrepunt. Jovem quin etiam ipsum meliùs quandoq; rudes animi, religiosâ Divinitatis imaginatione, quàm doctâ Polycleti manu effingunt. Eâ fiduciâ elevor ad sublimia laudum Tuarum impar Dædalus, Icari minimè metuens casum; nam Icarei minimè conscius ausûs. Si quid tamen in artificio laudis publica erudito-

rum criſis, comperiet, Tu Phidias, Tu Praxiteles eris, ego tantùm manûs & ingenij obſequium commodaſſe videbor. Porrò quidquid leges hîc, Tuum eſſe totum genuinum, nec quicquam in aſſentationem confictum, ſimplex veritatis oratio evincet. quam celſiſſimo Nomini Tuo & honori meritiſſimo, minimus nomine Academico, ſine affectata facundiæ oſtentatione pango. quandoquidem in præclara laudandorum amplitudine, verba fingere non licet, nec decet incorruptam profeſſos veritatem.

Verum eſt mentem humanam, in corpore caduco ac morituro Numinis conſciam, & ſupra quàm dici cogitariq; poteſt, gloriæ originum avidam; vt auguſtiora ſtirpium primordia faciat, æterna mortalibus, Divina humanis miſcere; & quod primigeniæ Aborigenum noſtrorum affectationis veſtigium eſt, ius faſq; mortalium aſpernari, cæleſte ſuum genus, originemq́, Divis authoribus debitam ambitioſe iactare; tanquam non longè magnificentiùs longeq́; inter mortales diuiniùs cenſeri debeat, illud humanâ ope, conſilijs, Viribus perficere, quod cælo ipſi invidiam moveat, quod à ſe non factum Iove prognatus monſtrorum domitor meritò indoleat. Fortis animus & excelſus, ſi virtute, divino quodam & inſuperabili bono præpolleat, hic genus ducit olympo: cum quidquid inter homines, ſupra humanum robur geſſerit, arbitro Numine dignum cælo æſtimatur; & vix humanum eſſe creditur, quidquid præter ſolitum, in homine enituit. Hominis ne iſta poteſtas? ingenium, induſtria, fortitudo? vbi increpuêre arma, fulgenteſq; micuêre gladij; vbi pugna acrior, ferriq; licentis rabies, Divina humanaq; confundens incaluit, vbi nulli vultus, nulli ſanguis, nulli ratio conſtant; omnibus in cædem & vulnera intentis, ſolus pudor temerando parcere ferro; aliquem equo & armis deſtitutum, clam ex acie cedentem,

videre hoſtem, acriùs ſe à tergo urgentem, nec quò effugiat, nec quò ſe tueatur cernere, in tanti periculi articulo, minimè animum deſpondere, quinimo quis igneus mentisq; manusq; vigor! eâdem celeritate & obviam Pinum altis defixam radicibus fortiter evellere, & hoſtem qui ſuo iugulo imminebat equo deijcere, ſtringere, adverſæ hoſtium exultantium aciei ſubitum terrorem incutere; inclinatis Polonorum ſignis animum & victoriam reſtituere: hem qualem quantumq; Virum! caſusne Deuſne? in ipſo furentis Bellonæ turbine, & ſævo armorum conflictu conſilijs inimico, inſtinxit ad opus ſupra omnia quæ in acie tunc edebantur eximium. Divinum certe facinus, in quo tot Virtutum prodigia triumphant, quot cum illo Viro pugnarunt Viceruntq;, agilitas, robur, indomitus terroribus animus, prudens, ſtrenuum, & quod omnia ſecula ſtùpeant, maturum in arena conſilium.

Hoc magnæ & inauditæ ante illum diem Virtutis autoramento, Te Tuumq; Illuſtriſſimum Genus Cælo æquavit, & immortali gloriæ dicavit, flos ingentium virtusq; Virûm GODZIEMBA Verus Martis belligeri Sanguis ILLUSTRISSIME ANTISTES. hoc ille primus ante ſex ſæcula, poſt homines natos, nunquàm viſum auditumue inter heroicæ fortitudinis oſtenta, erexit Regi Gradivo trophæum, cum quo fama ævi ſenioris admiratrix, decus omne priſcum, non bene contulerit. Decios ſponte Dijs ſe manibus pro incolumitate periclitantis exercitus devoventes? quos potiùs familiare fatum, quàm contemptrix timendorum fortitudo impulit. Reſtituentes ſigna Camillos? quos exilij iniuria, & hac arte quæſitus, ex ingratis Civibus triumphus perſtimulavit. Curtium, qui patentem exitio Quiritium voraginem, armatus ſtrenuo inſultu clauſit? aſt hunc quoq; benè præparatus ad id genus mortis animus, dulcedine gloriæ quæ promittebatur illectus

ctus accendit. Vulgata Græcis fabulis gestorum Alcidæ miracula? quod pro telis gesserat quæ fuderat monstra, armatus incedens Leone & Hydrâ; aut quod fixerit cervam æripedem, & placârit Erymanthi nemora? ast hæc portenta, priùs animo peregerat, quàm invictus clavâ ac robore prosterneret. hîc ex improviso, premente metu mortis, terrorum maximo, casu oblata, eodem momento in sapientiam & armorum vsum vertere, salutis propriæ, & publicæ Victoriæ intererat. Quin etiam supra Coclitem hic stupendus fortitudinis inopinatæ actus est, ausus ille hostibus irruentibus pontem revellere, sed scuto protectus, arma ad manum habuit, queîs primam imminentis periculi procellam sustineret. Nostro Heroi simul vincendum, simul quo vinceret hostem, cogitandum erat: simul inuenit & vicit, tam feliciter; vt ita tunc Moraui fusi fugatiq; , quemadmodum olim Hetrusci à Ianiculo recedentes, dicere poterant: Polonos vicimus, à fortissimo Heroum GODZIEMBA victi sumus.

Macte nouâ virtute Bellator magnanime, sic itur ad astra, hoc palmari cursu petitur gloria, non mendaci splendida fuco, sed præcipitem fatorum laborumq; viam ire parata; dummodò plenum splendorum caput inter sidera condat. His cruentis vestigijs aditur lacteus ille circulus, candidissimo splendore, cælestes inter flammas collucens, beatum heroum domicilium, unde mox lætus libensq; aspicies res Polonas, sub victrici Arboris Tuæ tegmine florentes, speciosos Godziembarumq; triumphos: nunc tantarum imagine rerum, ignarus à longe gaude;

*Attollens manibus famamq; & fata Nepotum;*

non clypei inenarrabile textum, vulcani dona parentis; arma Divina tamen: quia instinctu Superum vulsa, Dardanij Herois simillima Ramo: quem ille fatis vocantibus, contra umbrarum Dominos in opaca silva-

rum valle narratur evulſiſſe. Quin mihi ſi tuta piaq; facultas, cæleſtia exiſtimandi, veriùs hoc fatidico vatum ingenioſè comminiſcentium involucro, non æmulandi facinoris Godziembiani, & ventu ræ abillo inclytæ propaginis gloriam, à longè portendiſſe prædixiſſeq; videtur, Supremus ille viſendæ cuiuslibet, in ſpatioſo mundi theatro fabricator Scænæ, Deus! ſolitus bonos malosve, novorum eventus fatorum, quandoq; latentibus quandoq; manifeſtis ſignis antevertere, & ingentium bonorum gratiam arcano conſilio differendo, arduæ publicorum temporum neceſſitati reſervarè. Nam hinc vere Virorum

--- *primo auulſo non deficit alter,*
*Aureus & ſimili frondeſcit Virga metallo.*

Continuâ ſerie bonis meliores, illis optimi dum ſuccedunt, ſuperſtitioſæ gentilitati Numina quædam cum arborib us naſci, creſcere, vivere, & interire credenti partem ſuperſtitionis demunt; ac egregia rerum fama, etiam Lybithinæ ſuperſtites, creſcunt occulto velut Arbor ævo, è cuius fauſta propagatione, turgentibusq; decoro ſemine venis continuo Poloniæ Gens aurea ſurgit.

Verumtamen aureos Pompeij montes, Arborumq; in his ſimili metallo florentium, & animalium hinc inde, diſcurrentium, ſimulacra fulgentia, barbaricæ inſignia opulentiæ, quatenus Tui ſolenne feſtum honoris, inde ſplendidius appareat ILLUSTRISSIME ANTISTES, non ego è Capitolio ſuo transferam ad Triumphalia victricium ſemper armorum Tuorum, quorum primus autor triumphi ſui, vnus & totus ſplendor eſt. Capitolium triumphantis idem, qui inſignium ferax palmarum campus Polonia, in hoc beato ſolo, Divis inſerta bonis, & victrice dextra victorioſa Pinus, nobile triumphalis pompæ geſtamen, abinde iam gratior quam palma, Victoriæ arbos, multìs decora trophæis, magno honori Tuo, celſo vertice nutat: *Qualis*

*Qualis frugifero quercus ſublimis in agro*
*Exuuias veteres Populi ſacrataq; geſtans*
*Dona Ducum - - - -*

Inſolitum fructuum pondus, geſtorum ornamenta honorum, & præmia belli, pretioſis radiantia margaritis, frondes eius & ramos dum deprimunt, dignitatem attollunt. Viſuntur in illa auidoſq; rapiunt oculos, claræ vnionibus Infulæ, illuſtres pretioſo lapillorum ambitu Tiaræ, triumphales Imperatorum Clauæ, intextæ auro Chlamides, Purpuræ, Laticlaui, Curules, ſcipiones, Caducei, Sigilla, vexilla, palmatæ pictæq; Togæ, enſes, balthei, coronæ militares. Nimirùm ſacratam operoſæ virtuti Arborem, omnis colit honos, certus index; omnes Maiores Tuos continuis retrò ſæculis, in excelſo vitam egiſſe. Quorum lectiſſimum agmen ducit Pan ouium cultos, mirâ antiphraſi Lupus, primi GODZIEMBÆ Comitis, ex filio nepos, Płocenſis Tiaræ pedo inſignis, quouis manſuetior agno, paratus tamen leonem animum induere, quoties pro Domo Domini zelandum erat, hic Tibi altiùs enitenti, credo equidem, cælitùs libens benedictionem annuit. Longum ſimilium ordinem, & priſca remotaq; decora, liberet nominatim recenſere, niſi me è proximo maxima ILLVSTRISSIMORVM LVBRANSCIORVM DABSCIANIS miſta ſplendoribus lux circumfulſiſſet. In qua cum laude verſari hoc demum eſt, ac ſudum ſerenumq; Solem inconivente pupillâ tueri, nec tamen circumfuſos reliquorum ſiderum ignes, in diffuſione immenſæ lucis poſſe videre. Minorum luminum decor, effugit inuitos oculos, quos maior fulgor perſtringit.

Ne Solos Romanos exemplis valuiſſe bonis fama in maius celebret, ſplendidiſſimæ LUBRANSCIORUM magnificentiæ Polonia debet, digniùs longè tantis Nominibus itura in æuum. Non illi ſumma ſacerdo-

tia, consulares fasces, procurationes, omnemq; interiorem potentiam vt spolia; sed alta honorum insignia, vt Diuina publicaq; munia adepti, in quibus Deum & Rempublicam semper potiorem haberent, quàm hominum famam, vel rerum opulentiam Largiri multa de proprio, vt plus de publico sumerent, multis Romæ vsitatum; opes isti priuatas, quæ contigerant magnificæ, tanquam sacram publicamq; pecuniam, Ecclesiæ & Reipublicæ usibus addicere solenne habuerunt. Cedat umbra Soli, superstitio veræ Religioni, & qui se quondam Romulo Conditori, Pompilio legum sacrorumq; institutori, Bruto à tyrannis Romæ liberatori, Camillo seruatori, Bruxillus opinione sapientiæ & sanctitatis, Romanis maximus, antetulerant, quod Dijs, meliùs firmiùsq; quàm illi vel Viri, vel muri, defensuris urbem, Romam abundantem, moriens relinqueret, infra honorem Tuum cum suis abiectus Deastris procumbat, Sarmatice Liberalis MARTINE LUBRANSKI, Vratislauiensis olim & Posnaniensis ANTISTES, verè Te ex natura Dei gerens in pauperes, ac egenos beneficus, largus & in melius potens. Gentem Romuleam, mille Deorum portentis, quos sua cuiq; libido fingit, obnoxiam Bruxillus reddiderat; at nos Sarmatæ, heroicâ Tuâ liberaralitate longè feliciores,

*Non procul à cælo per Tua templa sumus,*

quæ mirabili in sanctis suis Deo, maiori eius gloriæ velificans, magnificentissimo sumptu, quinquaginta septem extruxisti, his veluti maioribus hostijs: Diuos Cælites propitians, vt pace belloq; Polonis rebus fausti & fauentes adessent. Victricem gentium vrbem & orbis Dominam, vicit Polonia in VINCENTIO LUBRANSKI, Posnaniensi Palatino, id beneficij & piæ liberalitatis experta in Ciue suo, quod Roma in alienigena Pergamorum Rege Attalo, nunquam laudaret;

si illi

si illi paruulus in aula luderet Attalus. Multorum ille bonorum Romam hæredem moriens fecit, quia nullum ex se genuerat: hic felix prole virûm multas villas Patriæ donauit. primus in Polonia Ordinationis author, priuatis affectibus, quibus Parentum liberorumq; pectora, arctiùs ad inuicem obligantur, Rempublicam omnium amores complexam præferens, pulchro ac nouo in posteros exemplo, patriam præferre liberis, non tantum Reges, etiam egregios bonosq; Ciues decere. Tum demùm publicam florere fortunam, cùm Ciuium præsidentiumq; priuatus census fuerit minor, commune magnum.

Satis ad gloriam magnorum LUBRANSCIORUM videri poterat, partitâ inter Cælites & terrigenas, beneficentiâ efficere; vt Diva Religio, & communis Patriæ res, magnificè per ora hominum incederet, sed ad stabilitatem non satis. Splendidiùs iste vtriusq; cursus, & pulchrè locati beneficij ratio, inter tot casus, crebris vicibus mortalia rotantes, intercidere, offendi mutariq; facilè possunt; ni maturè validis aduersus fortuita sapientiæ præceptis provideatur. Literæ siquidem benè ac seriò cultæ, atq; si rectè utaris, postquam istarum dona pleno pectore hauseris, salutariter in publico prævalidæ, virtutibus incunabula præbent, inspirant vigorem, robur addunt virtutum indissolubili vinculo quod prudentia est: Divinum omne humanumq; continetur, nititur, regiturq;. Vbi sic regnatur, nemo illic vitia ridet, nec prosperè gestum scelus, virtus: nec corrumpere ac corrumpi sæculum vocatur. Atq; vt olim labefactati penitùs Romani imperij, abolitæ libertatis, & extremæ servitutis, certum indicium erat, sapientiæ professores, omnemq; bonam artem egisse in exilium ne quid vsquam honestum occurreret; ita profectò in nouas sedes, è Helicone suo Musas evocare, pomeria studiorum producere, nouas condere Academias, in quibus

bus Iuuentus priscæ vivere more Scholæ condiscat, id demum est ad benè sperandum de omni Republica si-signum sustulisse. Gloria olim hæc Regum ac Principum; præcipua ILLUSTRISSIMO IOANNI LUBRANSKI Posnaniensi ANTISTITI, solennis eadem & germana, Tuum est immensum ac nobile calcar MAGNE PRÆSVL, ad similitudinem consanguinei decoris, acriùs Te, id spontè æmulantem, perurgens, quàm stupendi Herculei actus Theseum. simile quid, alibi Te præstitisse non nescimus, sed idem ad Istuleas Vladislauiæ undas, quod ille ad vartam amnem, præstare, præcipuum Tibi Votum esse inaudientes, læti gratantesq; beneficijs Tuis occurrimus, rediviuum in Te venerati IOANNEM LUBRANSCIUM. Fuluio ille Romano, in pari studio de literis benè merendi longè maior, quòd nouem Camænarum signa, sub tutela fortissimi Numinis, pecuniâ censoriâ dedicasset Fuluius, ast proprio ære LUBRANSCIUS tàm innocenti quàm magnifico, iuxta Cathedram Posnaniensem, templum Musarum extruxit ac reserauit; vt, quæ Philosophicâ Magisterij Laureâ, ad Tiaratum sibi in Ecclesia DEI culmen præluserant, sub protectione patritiæ suæ Pini, ingentium fæcundæ trophæorum, vigerent æternùm laureatæ. Animum ad virtutem & sapientiam plenè eruditum, pulcherrimum esse Dei cultum, cum Stoico, & nullam sapientiâ possessionem firmiorem, cum Meandro, consentiens LUBRANSCIUS, in animis paruorum Poloniæ Quiritium, pulchra Deo templa mansurasq; effigies, per rectam institutionem exstrui voluit, & potiores villis opes, firmioraq; Patriæ præsidia, in iuuentute ad omnem virtutem, & magnæ fortunæ cultum, ingenuis artibus erudita prouidere. Hoc ipso MARTINI & VINCENTII LUBRANSCIORUM, magna quidem in Ecclesiam & Patriam, sed vicissitudini rerum hamanarum obnoxia merita, immortalitate redonans; Pro qua ei pari iure dilectæ Charites Musæq; laborant.

Quidni

Quidni verum ſit, veluti oliuam ſpecioſam, in Eccleſia Dei fructificaſſe illum LUBRANSCIUM Poſnanienſem Suffraganeum, è cuius Vita functi, integro ac odoro corpore, ſalutare morbidis antidotum, ſpecimen eius ſanctimoniæ luculentum, fluxiſſe oleum, prædicat nunc etiam vox communis bonorum. At non tantum ad Purpureos in Eccleſia & Republica apices, illuſtribus exemplis, ac glorioſis paſſibus, Te ſuorum complementum & incrementum ſplendorum, Tui LUBRANSCII conducunt; etiam quas fortunato regimine Tuo felices redditurus es Infulas, palmaribus veſtigijs præſignant ANTISTES ILLUSTRISSIME. GREGORIUS LUBRANSKI Epiſcopus Płocenſis, rediuiuus in ſua cathedra Nazianzenus. MICHAEL LUBRANSKI primus Polonæ Gentis PRÆSUL Vladiſlauienſis, Perſeus ille Gorgonum ſector hæreſum, cæleſtis militiæ Archiducis non vanum gerens nomen, contra ſerpentem in illis partibus Orci & Luciperi colluviem, quoties ille magnum intonuerat Quis vt Deus! toties pro Cælo in terris fecit victoriam. Nec alter degeneris animi ANDREAS LUBRANSCIUS ſub LUDOVICO Poloniæ & Vngariæ Rege, eiuſdem Epiſcopæ Pontifex, verè fortis & igneus in ſocietatem conſilij Regnum & libertatem Polonam peſſumdaturi, velut in Troianum equum includi noluit; benè tamen conſcius fraudum, & perduellium non ignarus, quantùm mali & diſcriminis Reipublicæ inde impenderet, Nepoti ſuo ex ſorore Granouio, ſupremo Regni Mareſchalco, literis palam fecit: hoc eſt in fatalem illam Polonis machinam, perverſorum ingeniorum Palladefabricatam, ſacratior Laocoon, illibatæ fidei haſtam contorſit. Quantus in illo pro Patria Naſica, quantus in Nepote Grauouio, pro libertate Caſſius, pia & fortia facta loquntur, ego ſileo; teſtentur Annales,

 quorum

quorum hoc præcipuum munus cum summo rei politicæ Magistro esse reor; ne virtutes sileantur. Hîc ego DAMBSCIANÆ plausor gloriæ, LUBRANSCIANIS laudibus, eidem iniurius invisusq́;, iam propè in Orbis facie iudicor, nisi pulchram metamorphosim, & rei arcanum resoluunt, Vincentij Posnaniensis Palatini Soboles, Ledeis fulgentior astris, illustres Duumuiri publica negotia apprimè curantes; alter Regni Procancellarius, alter Castellanus Brestensis, LUBRANSCII ambo. His vnus sanguinis splendor, vnus Patriæ amor erat; vt quoq́; indiuiduum affectum concordia teneret, bona paterna diviserunt: hincprimùm sors diuisa, cognomen in Castellano nouauit, suetâ vulgo licentiâ Magnates à possessione nominandi, DAMBSCII à Dąbie Vocari cæpêre. De Lubraniec nihilominus scribi magnis DAMBSCIIS placuit, vt liqueret posteris, LUBRANSCIOS in DAMBSCIIS perennare. Mares animi simulac in Procancellario defecêre, salua res in Castellano Brestensi, primo de Lubraniec à Dąmbie DAMBSKI, nouem filiorum fortunatissimo parente. Ab illo posthac profecti, quicunq́; dignam Pontificalibus Tiaris mentem, sacratioribus negotijs exercuerant, LUBRANSCIOS; quorum bellacibus animis, sagum & arma Gradiuus induit, DAMBSCIOS Vocari Sarmatia meminerit. Duos enim duntaxat DAMBSCIOS, LUCAS, augustior Canonicorum Cracoviensium Purpura, etiam nunc grata recolit: vtriusq́; raræ pietatis radijs, ampliùs etiam pulchriusq́;, alterius senioris patrui, auro & gemmis eximiæ liberalitatis, radiat proximus Præsuleis verticibus, Ternio vauelli coronarum. Cæteris bellicum carmen Sarmaticæ Bellonæ classica dulcè cecinêre. Quotquot hactenùs in circuitu suo numerauit Polonia hostes, tot magnanimis DAMBSCIIS admouit stimulos, cum Regibus suis ad victorias &

trium-

triumphos. Nemo illorum ſumpſit probauitq; Purpuram, quæ non ante in Livonicis, Moſchouiticis, Sueticis, Coſaticis, nuper in Turcicis, Scythicis, Pannonicis bellis, hoſtili ſanguine tinctaruberet. Tantæ magnanimitatis ſpecimina inſignia ſpectauit prior ætas, in JLLUSTISSIMIS HIERONYMO, CONSTANTINO, VLADISLAO, MARTINO, heroibus de Lubraniec DAMBSCIIS; poſterior in ILLUSTRISSIMIS, Domino HIACINTHO nuper Caſtellano Beceñſi, magnificas Maiorum laudes, & illuſtria virtutum ornamenta apprimè decorante, ad cuius ſimilitudinem, Patricia Progenies illuſtres Filij, eorumq; generoſiſſimi Patrueles, honoribus factisq; fortibus præſenti ſæculo inclareſcunt; & Domino IACOBO Vexillifero Ducatûs Zatorienſis Viro belli pacisq; artibus ſpectatiſſimo, qui in Filio ſuo hodie ILLUSTRISSIMO Caſtellano Konarienſi, vt nuperrimè fortiſſimi militis; ita nunc optimi Senatoris vivam ſui imaginem exhibet. Da veniam, aureum Præſulei pectoris ſapientiſſimi Monile, & aviti Sanguinis gemma, JLLUSTRISSIME Domine IOANNES de Lubraniec DAMBSKI Vexillifer Inovladiſlauienſis, ſtrictim attingenti glorioſi Nominis Tui amplitudinem, quâ publicam & maximi Præſulis expectationem, egregijs facinoribus digniſſime, imples. Amplior laudationis ſeries, celſiora comitabitur honorum ſubſelia, quibus pridem deſtinatus, iam proximè immines. Suffecerit interim ad duraturam JLLUSTRISSIMÆ Domûs Veſtræ commendationem: DAMBSCIANUM eſſe, poſt militiæ decora & cicatrices honoras, poſt omnia caſtrorum incommoda & mille diſcrimina belli, Palatinos & Caſtellanatuum murices: ex magnifico, iuſto, placidoq; fulgentia Capitaneatuum inſignia: diuerſa terreſtrium dignitatum, non caſſa honore munera, velut cruentæ operæ pretia recipere. His illi



lauda-

laudatis instituti moribus, post partum bello amplissimum nomen, trucem Gradiuum suum, mitiori coniungentes Cythereæ, magnis per connubialia fœdera connexi domibus, Patriciam Pinum, principalis fortunæ paratu, coniunctisq; decoribus longè splendidiorem, quàm olim Romuli propago, hastam Quirini summâ vi terræ ab illo infixam, postquam frondibus emissis in arborem crevisset, pretiosis monilibus appensis reddiderunt.

In ea DABSCIANUM omne visitur, quidquid uspiam virtute egregium, genere excelsum, honore magnificum, famâ gloriosum prædicatur. Hinc summo in vertice Cæsarum Regumq; cognatæ Ducum Radiuillorum Aquilæ nidificant, inde POTOCIORUM SZCZEPANOVIORUMQ; CRUCES, Cæli terræq; munimenta; pugnantis pro gloria Crucis Poloniæ, fulgentia labara, altè micant. supernè fulgentes TARNOVIORUM Lunæ, noctes adversorum recreant, auroræ Soles honorum prænuntiant. inuicta PRZYIEMSCIORUM & DEMBINSCIORUM Pentesilea, suum edomitum vrsum, hac sub triumphali Arbore, zonâ aureâ regens, genialium consors votorum exultat. Triumphalibus præfulgens ornamentis OPALENIORUM Argo, hinc vellus aureum cum LUBRANSCIANA Nympha Iasone feliciùs auexit. Nec regnatrices Coronas in illa desideres, etiam rariores in mortalibus has gemmas, non vilium pretia laborum, FELIX olim PANIEWSKI GODZIEMBA prius Pannonici, postea Poloni exercitûs Ductor appendit, Regio MATHIÆ olim Regis Hungariæ sanguini maritatus. Verùm omnem eius decorem auro & gemmarum nitore corruscantem, super omnia protegit & ornat, triumphalis Serenissimi & Invictissimi IOANNIS III Regis Poloniarum vmbo, candidæ ILLUSTRISSIMORUM DANIEŁOVICIORUM Cynthiæ, aureis coronatæ sideribus, consanguineus quem

quem, fortunatissimo connubiali vinculo augustum decus addidit, germanum Tibi carumq; pectus, Palatinis hodiè Brestensium fascibus, effulgens. Singula tanquam demissæ ab Iove Gentis Tuæ Nomina, PONTIFEX, gloriosos actus, illustres hymenæos, purpureos honores referre, longi esset subselij, & intempestiuæ industriæ, molestiam facessentis, illi Tuæ optandæ Principibus Viris, in summa fortuna moderationi, quâ illud alijs ambitiosè iactatum: modicum efficis, censeri laude Tuorum. Qui, cum in omnium præsentium futurorumq; gloriam vivas, neminem Maiorum Tuorum in gloriam Tuam, ita vixisse pateris, quin ampliùs de Tua adijcias. Quamobrem summa secutus vestigia rerum, in Te laudando, vtar alienarum compendio laudum: Sic magis constabit dictis veritas ubi spatium fingendi defuerit.

Omnia documenta virtutis, omnia insignia honoris, omnia ornamenta fortunæ, omnia monimenta gloriæ, congesseruntin unam Gentilitiam Pinum, Maiores Tui in armis strenui, fortes, invicti, nec in toga vitiis dedecores, vitæ integerrimi, iustitiæ amantes, continentes, humani, affabiles, concordes; utrobiq; magnificentiâ & prudentiâ præstantes, nec tales tantiq; ex hac Domo nasci desituri unquam, donec Sol recurret in ortus, & Luna ignes colliget reuertentes. Nimirum, gloriosissimis pace belloq; inclytum titulis Genus Tuum, certo rerum Polonarum præsidio, propitia fata, eo sæculo prodiderunt, cum quasi ex condicto, exsonantibus vndiquaq; vicinorum in Poloniam armis, non Mater Idæa (Vt olim premente Gentem Romuleam, bello Punico, suadentibus oraculis, in ædem victoriæ, Pessinunte Romam delata fuit) sed certior victoriarum, VLADISLAO HERMANNO Polonorum Principi, auspex, seu terribilis vt castrorum acies ordinata, Tabernaculum; seu vt Serenissima Poli Poloniæq;

niæq; Regina, folium gloriæ & miraculorum poſuit in arenis. Matri Deûm Idææ, grata ſacraq; Pinus, aſt prælians bella Domini, Magnanimi GODZIEMBÆ Herois, Progenies dilecta magis, veri DEI Genitrici MARIÆ, & REGINÆ Sanctorum. Auſpicijs quidem Paternis, & imperatoriæ Sieciechi gubernio Aſciæ, ſed omnipotens auxilium ſuggerente, inter choros caſtrorum Diuâ hac Sunamitide, per admirabilem victoriæ adminiſtram GODZIEMBÆ fortitudinem, vicit BOLESLAUS Krywouſtus Morauos, victoriam illam habiturus præludium, quadraginta ſeptem triumphorum. Felix augurium perennitatis Veſtræ, abſolvit, perpetuum in Te Tuosq; tam auguſti Nominis Mariani patrocinium. O arcana æterni conſilij; o abyſſi Diuinæ prouidentiæ, omnia per immutabiles cauſarum latentium ſeries ſuauiſſimè diſponentis? Vide PRÆSUL quàm Diuina Gentis Tuæ initia ſunt! vide quæ circa Te Maioresq; Tuos cura, quis Superum, fauor! quàm ſollicita pretia natales Tui habuerunt!

Proxima ſorti Superum quorum naturæ pars, eſſe bonos, felicitas, tam publicè priuatimq; bonis, quàm vndiquaq; illuſtriſſimis naſci Te pulcherrimè beat. ILLUSTRISSIMUS PARENS TUUS de Lubraniec DAMBSKI Słonenſis Caſtellanus, Purpuram Senatoriam continuò Maiorum ſuorum magna in Rempub: merita decorantem, merito capeſſens, & munere ampliùs ornans, magno non impar, quoties, partes fecit pro libertate, Catoni. Maturam gerendis honoribus ætatem, ſtudijs Ciuilibus egregiè excultam, nec belli inexpertam, tunc decoro publico applicuit, cum multis mala publica in occaſionem gratiæ & fauoris verterentur. Nihil magis quàm illa peſſima conſuetudo diſplicuit, ſenſûs integerrimi Viro, & cui publicè creſcendi omnis ſpes ex honeſto, ergo paribus maiorum conſilijs Rempub: capeſſere, non prauis

uis artibus turbare, quandoq; distrahere, seriò consti-
tuit. virtute cum strenuo, non factione cum factioso
certare, pro gratis & specie inanium fallentibus, vera,
& in publicum valentia dicere & facere, speciosiora
primo aspectu aliorum consilia intelligere, non damna-
re, propria vsu meliora in aliorum arbitrio relinquere,
non iactare, Patriæ Senatoriam fidem, Principi ciuile
obsequium ex æquo præstare. Ita plenum ambitione &
periculis iter pergendo, extra inuidiam, non extra glo-
riam esse. amens sit, qui viuam, in hoc Ciuilis pruden-
tiæ normam, non approbat, sed Tu eius amussis, Tu
paternarum virtutum gloria, Tu laudum corona. plus
enim in Tuum decus, impendere gemmarum, cælum
debuerat, quem princeps Regalis Sacerdotij potestas,
supra humanum omne fastigiat. Senator ille spiritus,
materni Aui Tui Jllustrissimi olim IEMIELSKI Castel-
lani Inouladislauiensis, in veritatis vindicijs constans,
in libertatis assertione intrepidus, in sententia dicenda
grauis idem, & facundus, obsequij in Reges fidelissi-
mi, amoris in Patriam purissimi, vivaciùs mediusfidi-
ùs in Te spirat & consulit. Bona quidem ista excel-
lentia, illius propria fuêre, verùm materni deriuatio-
ne sanguinis, in Te transfusa feliciùs, & aucta virili-
ùs animataq; esse experimur. Adeo; vt non mirum sit,
optimos mortalium altissima cupere, qui virtutem i-
psam in ardua tendentem, cum sanguine ab vtero su-
munt, cum lacte ab ubere imbibunt. Tanto Paren-
te genita, quidquid in eo summum Polonia æstima-
uit, totum ceu Pontificijs Tiaris coronandum in Te
traduxisse videtur ILLUSTRISSIMA GENITRIX, Polo-
na Iunia, plusquàm uiginti clarissimarum inclytæ nobili-
tatis familiarum imagines prælatura, ad imitationem Fili
js, quos Gratiarum numero pares genuerat, nisi æternæ
laudis quàm popularis auræ studiosior, mallet po-
tiùs viuas matronalium virtutum effigies, in tota vitæ

laudatissimæ ratione præfulgere. Quæ sat amplum theatrum, propriam eius conscientiam nactæ, nunquam aliter in publico occurrebant, nisi vt genuina, pulchrè & decorè vivendi documenta. Prudens illa, veram solidamq; gloriam solâ virtute parari, principe etiamnum loco nasci, fortuitum esse, nec ampliùs æstimari, virtutis magisterio vos cara sua pignora addixit. Illi debet mirator orbis Polonus, in Ternione Vestro gratiosissimo, suspiciens omne trinum perfectum quod natura melior sublimè genuit, ad ornamentum: Diua virtus numine subnixa sapientiæ, omnibus vt aiunt numeris, eximiè absoluit ad exemplum: fortuna magnificè extulit ad gloriæ & honoris coronamentum. Neu verò par ratio sit Divinæ humanæq; lætitiæ, tertium vestri pulchriùs heroicarum & Ciuilium virtutum, quàm Konariensis Castellanatûs Purpurâ prænitentem, citò nimiùm Cælo deberi, fatisq; ad sidera tolli, mors fato propera docuit, vt cum Deus impari numero gaudeat, Polonia Vestro illustrissimo pari gauderet. Quantus autem in publici templo consilij Consus, quantus in armis bellator, quantum suis maioribus compar, nosse modum iuris, inter seria Catonem, inter hilaria Lælium gerens, sapiens, splendidus, affabilis, quantùm Tui simillimus, & hoc rarissimus æuo eruditorum fautor, Mecænas LUBRANSCIANIS Musis felix hodiè bonusue, tanquam de Cælo missus, singulis singula stipendia nouem millia, splendidâ & vere LUBRANSCIANA largitione promittens, JLLUSTRISSIMUS & Magnificus Dominus SIGISMUNDUS de Lubraniec DAMBSKI Palatinus Brestensis Kuiauiensis, aliàs dicere iuuabit. Ibunt Musæ gratijs coniunctæ decentibus, & inter seria vatum carmina, tanti beneficij fidelem memoriam recolent, grata facundia, in plausum & triumphum tam magnificentissimi operis, omnia æra sonora concutiet. Mea hodie, hæc una reliqua pars est, hic me plenus timoris solliciti labor exagitat; vt dignitatem Tuam ex Fascijs crescentem in astra, ritè prosequar. Cæ-

Cæteris mortalium, ex felici horoſcopi influxu ex proſperis aduerſiſuè ſiderum aſpectibus, vitam, fata, fortunam, aſtrorum arbitri promittant, certioribus præſagijs, cunæ Tuæ illuſtres, cognatis Sanctorum ſplendoribus effulſerunt. Ac primùm, cunctis nitidior aſtris, glorioſa SZCZEPANOVIORUM CRUX, Præſulei Sanguinis Purpurâ rutilans, ad luſtricum fontem cum nomine Diuiniſſimi STANISLAI, in Tuum futurum decus influxit, ſignavitq; Te alterum ſui nominis, pietatis, zeli, Sanctimoniæ, iuſtitiæ Præſulem, & magni conſilij Senatorem. Nec minùs fauſto omine magnitudinis futuræ, in gentilitia Chleuiciorum ODROWAZIORUM Sagitta, ſidus tibi fulſit HIACINTHINUM, tanquam incipientis Vitæ Tuæ ver purpureum, in primo arietis gradu exiſtens, maturis iam virtutis, & laudabilium actionum fructibus, in Sagittario autumnaret. Nempe animus ille, qualem in humano corpore, veluti quendam hoſpitantem DEUM, Romanus Sapiens dixit, quali ſimilem, ægrè in alijs, ſolicitus Muſarum labor, per longa faſtidia effingit: in Te vix nato, iam auguſtior, iam ad magnarum rerum ſpecies exageratus, humilia & indecora, tanquam intelligeret, occultâ quadam diſſimulatione generosè ſpernens, in fronte ſerena, ore purpureo, oculisque nitentibus eminebat: perſpicaciſſimi iudicij Viris, magnum omne & excelſum, inde de Te augurantibus, clarior Diuinæ indolis interpres, & ignei in præſtando præclara Vigoris, certus nuntius vultus, id ipſum expreſſiùs indicabat Ex quo, rigorem quidem Manlianum, & deiectum omne, flebile, torvum, hilares Gratiæ penitùs proſcripſerant, conſtantiam tamen & magnanimitatem Scipionis, ac Prætextati ſapientiam, clarioribus ſignis expreſſerunt. ceu ex induſtria, affinibus Muſis animorum magiſtris, delitium in Te, non Solicitudinem præpararent: ſic in illo claro mane, clariſſimus hic hodiernæ eminentiæ

 meridi-

meridies elucebat. Eos rerum gradus esse, discendum vt agas, agendum vbi didiceris, non nescius: a vertice (vt aiunt) ad talos, suffundi deberes, si aliquando non prior cæteris, cum plausu ageres, quæ tui similes agenda discerent. Dignus, quem omnes alii, in hoc non laudarent tantum; sed æmularentur: nisi quod in aliquibus, gloriam æmulationis non reliqueras. Hoc pacto, præcepta docentium exemplis præuertere, vel superare solitus, quorum alia similitudo Maiorum suggerebat, alia hortator Tui ipse serius, ex Teipso sumebas: præclaro sane documento, vt ars naturæ imitatrix, in rarioribus præcellentis naturæ Tuæ muneribus, haberet, quod & ipsa imitaretur, & aliis imitandum proponeret.

Quid mirum, si Serenissima Solis Iustitiæ Parens, MARIA, alteri iam, Pontificij Honoris fastigio, insigne suum & patrocinii tesseram, in Tutelari Illius imagine, reponenti, Te Diuini humaniq; iuris intelligentem Præsulem infert? quæ, Musis Tuis, inuolucra adolescentiæ pulchrè retegentibus regentibusq; aurora amica fuerat, viuum generosis Tuis in præcordiis Phæbum, veri luminis fontem, faciens oriri; & præsaga dignatione commonens: doctissimum esse debere, qui inter Sacrorum Mystas, excelsi prærogatiua honoris eminere, cælitùs destinatur. Hæc Tibi pro Pallade, Singulari deuotione culta, Cæleste adiutorium fuerat, solidos in lubrico gressus figendi. Omnibus literis ingenio par, vsu etiam & exercitio Superior, omnes Parnassi lauros, quas consumpseras, eius sub magisterio, Sanctioribus omnium virtutum palmis, Sociare didicisti. His remis velisq;, Gentilitiam Pinum illustribus fulgentem Ceris, pro classe laureata, & protectionem MARIÆ, pro Stella Polari habens: primum instabilis iuuentæ fretum (in quo, sæpe indulgentiâ Parentum, extra Ionium, non vnus mergitur Palæmon)

vandali-

vandalicos, inter Balthicosq; sinus, prosperrimè emensus; dum sponte consilioquè, tendere in Latium cogitas; videre mihi videor, nouum omen, prudentissimo animo Tuo eminùs futura prospicienti, occursare clarum Nomen Avorum, & pulcherrimas illustrium Tuarum avitarumq; virtutum species, velut consanguinei Oceani Deas, suis auspiciis ituro per altum, lætum celeusma acclamantes:

*Nos sumus Idææ sacro de vertice Pinus,*
*Nunc pelagi Nymphæ classis Tua.*

Nec sublimis æther, ab hac parte vacavit, dum cognata PRZYIEMSCIORUM Vrsa, Arctoum Nauiganti sidus, æquore tingi nescium, in Diuinissimo STANISLAO KOSTKA, amicam exhibuit Cynosuram. Prospera signa vides, naufragium in peregrinis fluctibus ne timueris, cui insuper, moderatrix affectuum ratio, felicior Palinurus gubernat, tam euitans Charibdim, vt non incidas in Scyllam. Sirenum scopulos, ad quos, aurata magnæ spei Iuvenum Nauigia allisa, heu dolendum! vbi, multùm velis turgentibus lusere, misere sorbentur; nouus alti Sanguinis Castor Argonaûta, sine Orpheo securè prætervectus: nec pauens Eridani amnem, solos Phaetontes, qui, vbi alieno sole incaluêre, toto (vt aiunt) errant cælo, mersantem; placido Tyberis flumine, Romam appulisti. In illa altissima Orbis Christiani scena, visurus omne, quidquid totus terrarum Orbis habet visendum. Hîc vbi priscis nouisq; rerum miraculis, Imperatorem vitæ Tuæ animum intendis, seriò reputans: prout

*- - - - - ipsa cadauera tanta*
*Vrbis adhuc spirent imperiosa minas.*

Ipse, omnem ingenio doctrinam complexus, eruditissimis Italorum, iucundum factus es spectaculum; pulcherrimum quendam sapientiæ Orbem, in cultissimo pectore Tuo demirantibus, cuius centrum esset, sci-

entiarum Domini gloria maior, circumferentia ſapiens animus, & ſolida comprehenſio: aliis nouum quoddam Pantheon in Te viſum, in quo facundi fluminis arbiter Cyllenius, Romanæ facundiæ Tullianum nectar, & dulce eruditumq; profluuium: Saturnus ſapiens, ſublimem in philoſophando ſenſum: Iuriſconſultus Apollo; æqui boniq; Oracula: Iuppiter omnipotens, Diuinæ ſcientiæ alta myſteria: Præſes imperiorum Iuno, artem politiæ exactiſſimam, quisq; ſuam velut genuinam artem, ſeu artis rem, non imaginem ſuſpicerent. Tantoperè, acutum ſeptemtrionis gelu, in ignea excellentium ingeniorum acumina valere, ſatis illuſtri exemplo approbâſti, vbi licet, hybernis Aquilonibus corpora ſarmatarum rigeant, Entheum cæleſtibus quibusdam ingeniis, vigorem ineſſe, quo intùs agitante, ad magna & ſublimia incaleſcunt. Dignum cælo Italo ingenium, dignam Româ expetitamq; mentem, reduxit ad propria, deſideriis ictæ fidelibus dulcedo Patriæ, cuius, in Te maximum rerum momentum, Superi ordinabant.

Fortunate redux, quantumuis modeſtiæ ſubmitteres, fortunæ vexilla Tuæ; ita tamen in luce & oculis omnium verſabaris, vt maioribus, quàm quos, mox geſturus fueras, dignior honoribus æſtimareris. Et iuſta hæc Tui æſtimatio, cuius ſummæ eruditioni, par vitæ ſanctimonia præire ſolita: ne illam, inter tot humanos errores ceſpitare contingeret, quæ ſine iſta fucus eſt, & magnum in rebus humanis inane. His ducibus, & nonniſi, magni arduo calle laboris, per optimum minorum vſum, ſubinde maiora ſubſelia mereri & capeſſere, Tibi decretum erat, cogitanti: firmum eſſe, & verè heroicum publicè inclareſcendi modum, more orientis ſolis, per ſucceſſus & incrementa lucis, ad meridianos ſplendores aſſurgere. Primam ſacri honoris metam, Princeps PŁocenſis Eccle-

fia

ſia dedit, cuius principali Clero, allectus, eam in Te omnium existimationem vertisti; vt omnes prout cuiq; affectus, & magnæ virtutis amor ſuggerebat, tacitis Te votis deſiderijsq; Antiſtitem, inaugurarentur. Ita futuræ claritudinis indicia, & ſi moderationis cortina velentur, nequeunt latere, quin per ipſos heroicos actus, per illa, quæ quis ſapienter loquitur, pondera rerum, per vultum quoq; multa præclara minantem, erumpant.

At verò Solenne eſt, bonis magnisq; viris, publicè benè merendo & illuſtria agendo, honores, non inuitamenta ad tempus; ſed perpetuæ virtutis præmia, præcedere. Hæc cura prior, pectus Tibi vſſit generoſo inflammatum honeſto, nec conanti occaſio defuit, quâ non alia maior, difficilior, glorioſior, liberi Populi luctamina, auguſtiore iudicio cenſendi. Cogitandus hîc iùſtus ille Iudex, iuſtitias hominum iudicaturus; quid, ſi ex iniquo ſortem repererit? cogitandum Rhadamanteum Tribunal. hîc, quenquam, ſi nihil ſanguinis, aut potiora quandoq; ſanguine, amicitiæ iura, nihil gratia, nihil odium, nihil ſpes lucri, aut metus periculi, alienum à iuſtitia faciendi coegerint iuſti, Sancti, & DEO ſimillimi animi, inſigne prodiderit documentum. Hæc eſt Tuæ iuſtitiæ legitima apotheoſis, nunquam, niſi priùs adorato Numine, in Sanctum illud Tribunal, deſcendentis, cui ipſius DEI communicatam poteſtatem, fata humani generis ad ſtateram expendendi, intelligimus. Auguſta Regni Poloni Themis, ter Te Iudicem æqui obſeruantiſſimum, & vindicem iniqui iuſtiſſimum, venerata eſt, qui nullam ſine conſultoribus Diuis ſententiam, tuliſſe uidebare. Summum ius, ſummam eſſe iniuriam, ſi iudicio favor officiat; nec illud Sanctiſſimum humani pectoris bonum, adamantinam iuſtitiæ baſim, fidem, manere in iudicijs integram, ſi magnitudo quæſtuum ſperetur, inte-

gerrimâmente reuoluens; iuſtitiam de cælo ortam, ad ſacras Cælitûm Aras, ſolentibus votis Aſſiſtricem invocabas, iturus in curiam, in qua litium diſcrimina intenduntur. Ergò iudicium Tuum, ſicut meridies, nullas admittens corruptionis vmbras, omnes affectuum nebulas diſpellens, publico ore celebrabatur, famaq; Tui Nominis, cui ſæpe boni indulgent, Tu magnopere moderaris, magìs ac magìs per Orbem Polonum clareſcebat.

Cæleſtibus iuſtitiæ & pietatis proceſſibus, quibus homines propiùs ad DEOS accedunt, egregium Eccleſiæ & Reipublicæ iter aggreſſus, modo Reuerendiſſimus Aſtreæ, mox & Sacrorum, fauſtâ Sereniſſimi CORIBUTEI ſideris irradiatione, Chelmenſis ANTISTES ILLUSTRISSIMUS, orbi Sarmatico refulſiſti. In illo equidem, Præſuleæ poteſtatis, infeſtum vitijs fulgur, renideat, qui mentis, Pontificijs virtutibus, celeriùs, quàm ætatis curſus permittit, conſumatæ ſenium, non cani capitis niues, & tardum frigus ſenectæ, auguſto Patrum ſenaculo, infert. cui robur & ebur vividi pectoris, animus integer vitæ, ſcelerisq; purus, id eſt, in corpore ſano, & viridi, vndiquaque ſanus, vigent. Feſſa vivendo ætas, ipſa ſibi onus, tædium, & moleſtia cum ſit, in illa Tiaratus ſplendor, ceu Heſperus in vitæ occaſu, noctis Nuntius, non diluculum lætitiæ, populorum deſiderijs affulget. At primum Infulæ Purpuræq; Tuæ fulgorem, Luciferum nitidiſſimum crediderim. quem Regia, Inuictiſſimi MICHAELIS primi Poloniarum Regis Cynthia, lumen ſuum æternos collectura in orbes, in Tuo iam tunc celſioribus digniſſimo Tiaris vertice, voluit radiare. Nimirùm vt Pontifex & Senator, purpuratis Auis Atauisq; clarus, magnitudine animi, conſtantiâ, integritate, fide, dexteritate agendi præſtans, & decente Præſulem facundiâ, contumaces etiam & ob-

ſtina-

ſtinatos animos flectere in meliùs potens, in Electorali campo, ſalutaris publicè lucem conſilij, inter funebrem Poloniæ noctem, præferres; prænuntiam orituri ſolis, in Potentiſſimo & Inuictiſſimo JOANNE III. Sereniſſimi; Tuam comprimis dignitatem, maiore LUCEORIENSIS TIARÆ ſereno coronaturi. Habent enim hoc, coniuncta boni publici, cum reuerentia Maieſtatis, munià, vt quandoq; præter ſpem Regijs fauoribus decorentur. Quippe apud Regum Sapientiſſimos, omni ore diſertiùs ac efficaciùs, fida obſequia perorant.

Vtrumq; è Republica agere ſatagenti, Cælum ipſum auxilio adfuit. Regina Libertas, liberis Regem Poloniæ, electura ſuffragijs, vbi centuriatis electionis Comitijs campum aperuit, in quo, omne ingenium liberum, liberè ſentiendo diſcurreret; primùm diuerſa ordinum ſtudià fuêre. Rex alijs externus placebat, qui ad genium liberrimæ Gentis, viduam maieſtatem acciperet & regeret; omnia legibus & conſuetudini permittens, nihil proprio arbitrio faciendum relinqueret: ſed, qui contra vicêre, publicè præualebant: quos inter, Tu eminebas ò Magne ANTISTES, conſilio & eloquio promptus, incredibili prudentiâ, animos difficiles demulcendi, & voluntates aliò inclinatas, è uoto conciliandi, præcipuus; multa pro re & tempore, grauiter ſapienterq; diſſerens: In liberrimo populo, cuncta regendi onus, arduum illi, & periculoſæ plenum aleæ, qui iurium libertatis & iniuriarum ignarus, ſolam imperandi potentiam, in conſilio haberet: nec animorum Regionis prudens, leges, rem mutam & inexorabilem, pro immutabili fato cenſeret, nec unquam clementiæ, prudentiæq; genio temperaret. Tantæ molis, ſolam eius mentem capacem, qui in Regno libertatis, Principe Domo editus, per aliena experimenta, longo vſu didiciſſet, deſideratam

ratam in excellentibus Principum ingeniis artem, quâ Ciuem liberum regat, & quâ hostem superet: quem ingentem bello, victorijs, triumphis, hostes magis metuant coronatum: quem supra alia fastigij ornamenta, non vnâ ob CIVES SERVATOS coronâ decorum, vt Patriæ & Ciuium seruatorem, Ciues ament, suspiciant, venerentur: in cuius imperantis gratiam, priuatas simultates, publicis necessitatibus remittant. Quid moram offert, ne fortuna, det illi pro regno suffragium? quem immortalis & inusitata virtus, maioribus sceptro & diademate meritis, supra alios euexisset. Quid felix species, multumq; optanda Imperantibus, ipsâ maiestate vultûs ac corporis, venerationem atq; gratias spirans? quid iste maior, à Regiarum virtutum Purpura, quàm à potestate sceptrorum fulgor, erumpens? an non, & si nolit, imperare posse decernunt? Vicit Tua sententia, prævalidis, Primorum Regni, nixa suffragijs, itumq; est concordibus omnium votis, in Serenissimum IOANNEM III, quem non tàm Tuis rebus subsidium, quàm, vt Patriæ Patrem, in Regem eligendum suasisti. Nominare quidem Electum, tunc Tibi non licebat; sed quæ occulta de Te Superum cogitatio! cùm insigne electionis eius, adiumentum fueris; eò ipsò, ad hanc, cui Te publicâ exultatione, & faustis gratulationibus inauguramur, VLADISLAVIENSEM & POMERANIÆ Cathedram, gradum fecisse mihi videris: cuius Præsulum, post Primatem Regni, Archipræsulem GNESNENSEM, peculiaris prærogatiua est, electos Poloniarum Reges nominandi.

Præmissam, meriti Tui speciosissimi Auroram, exortus à Regali Throno, augustior secutus est verè dies Cæli. Cæleste donum, noua Progenies, Serenissimas Poloniarum Maiestates, vltra mortale gaudium, recreauerat, cæterùm augusti Tori vnio preciosissimus, tùm demùm, terrarum Regno, & super-

nis

fauoribus, aſſeritur dignus; poſtquam in mari gratiarum, ſacratioribus lotus vndis, Stygium omne exuerit. Ita, quoties ſanctiori Latio, noui naſcuntur Achilles, à Luſtralibus aquis, contra opera tenebrarum, induunt arma lucis. Solennior hic, apud terrarum Dominos, Sacrorum Luſtricorum actus, & rarior obſequij gloria; non niſi animorum corcula admittit. Tanto Te muneri cæteris digniorem, Sapientiſſimi Regis fauor, & inclinatio æſtimauit; Regiam æſtimationem, nouâ & inſolitâ dignatione, Olympus approbauit. Ne, Heroum fato, non irrita ingentis gloriæ, ſecum in lucem ferentium, auguria; natus Princeps, vulgari elemento, conſecraretur Cælo; in illam ipſam tempeſtatem, cæleſtium conſilio Numinum, adfuerat, quispiam, cum aqua Jordanis Hoſpes: tanquàm, ad Terrorem Orientis, Inuictiſſimi JOANNIS III, vocem, Iordanis conuerſus retrorſum, Luſtricas, obſequio tanti Principis, aquas approperaret. Felicitatem Tuam ô PRÆSUL! cui antè alios contigit, illis ſalutaribus vndis, futurum Aſiæ everſorem magnanimum, diuiniùs aſpergere, beata aſperſione, originale nefas abolendo; quibus, Saluatorem mundi, tingere meruerat IOANNES, quo, inter natos mulierum, maior non ſurrexit.

Eximio Regij Luſtratûs augurio, vt nomina pari omine reſponderent, Tuæ ſingularis ſapientiæ ſpecimen ingens erat: cum, à bonis Principibus, tria expectentur; Sanctitas domi, in armis fortitudo, vtrobiq; prudentia; Sereniſſimi JOANNIS III Filium, paternarum legitimum Succeſſorem virtutum, ternis Nominibus, ſingulares gratias, ſingula omina innuentibus, inſignire. Nominaſti ALEXANDRUM, Nomen Orbi metuendum; cui aliquando, non vt olim Macedoni Perſarum; ſed Turcarum, par Deorum potentiæ, quos colunt, Imperij faſtigium, iam tot Paternis triumphis inclinatum; cum Orientis viribus, penitùs ſuccumbet.

Firmaturus omen, dixisti dilectum DEO BENEDICTUM, cui bellaturo olim, pro benedicto in æternum, ipse militabit æther.

846 *Et coniurati venient ad classica venti.*

Avitam ex utroque gloriam, aucturo infanti Principi, triumphale aliud, in ZOŁKIEVIO Proavo STANISLAI Nomen, fatale Propontidi, Lechiæ salutare, addidisti: triplici nomenclationis funiculo, secunda illi Numina devincturus.

Post Cælestes tutelas, & addicta, Principe Sacramento, Diuorum patrocinia; successit summa terrarum gloria, venitq;, per dignas suâ maiestate vices, in sacram cognationem, quidquid solo DEO minus, & maximum inter mortales, Orbis adorat. dum innocentiæ Principis, innocui Nominis Vaticanus Pastor INNOCENTIUS olim XI Summus Pontifex, Patrem, in FRANCISCO MARTELLO, suæ Sanctitatis Legato; Augustissima Romanorum Imperatrix, in Serenissima Principe RADIVILLA, IOANNIS III Regis Poloniarum, Sorore augusta, Matrem exhibuit. Tam eminentibus, supra cæterorum nascendi sortem, auspicijs, summæ spei, & regnatrici fortunæ, Principes, ipsa cunabula desponsant: quod maximè conueniat, augustales cunas, non vulgaribus decorari præsagijs; in quibus, tanquam in prodigiosa flamma, infantis Seruij Tulli caput coronante, Regiæ fata potentiæ, præluceant. Ingentium eiusmodi bonorum, Tu sponsor, & certior ex sacris Oraculis augur, quàm Iupiter Ammon, Serenissimo infanti extiteras? nil obstat, quin fias gratulator. Adeò omnia in Principe excellunt; vt non tam fiduciam voti, quàm ipsum fiduciæ robur, Poloniæ exhibeant.

Hæc publici gaudij nobilissima portio, inde Tibi etiam præcipuam laudem affirmat; quod inter graviora aulæ obsequia, potior Tibi semper Religio fuerit, certum habenti: Regios fauores, cum ope & auxilio DEI, quæri oportere: nec quicquam, adeò magni-

ficum

ficum &ingens, d onandum à Regibus haberi; quo, non excelsior sit, vel minimus cultus Divinorum: fortunam à DEO petendam esse, cuius gratiarum instrumenta, sunt Reges terræ; à seipso sumendam sapientiam. Qualem quantumque Præsulem esse addeceat, cum aliquod nomen decusq; , publicè gerendum suscipit; Tu posthac in exemplo eris: primas DEO vices, sacrorum Princeps; secundas Reip: nec sine DEO, Senator, sancto vbiq; more vendicans: cunctis quocunq; loco dictis factisuè, religiosum horrorem Numinis, cuncta terrarum prouidentià regentis, prætendens. Hinc sanctis pondus adest verbis; & vocem Tuam dignissimam, quæ Regum oracula & Regnorum iura, populis loqueretur, seu pro statu Ecclesiastico, seu pro Politico detonantem; semper recti tenacem propositi, ceu Diuinæ mentis interpretem, fata sequuntur Iam Diuinarum Virtutum Tuarum amplitudinem, & encomia altiùs contemplanti, nusquam terrarum occurrit; sed velut à littore longè in altum provectis; Cælum vndiq; & vndiq; Pontus. Videlicet, summo Cælo debitum est; quodcunq; lucentem infra Lunæ globum, opus perficis: immensum verò laudum æquor, laudaturis circumfunditur, dum aliud ex alio laudandum obiicis; & magnorum materiem præconiorum, maior subinde pulcherrimorum operum series, continua accretione vrget.

Capacissimi omnium rerum honestarum animi, Regina Sapientia, quæ in Te, supra omnes Purpuras & Conchylia fulget, cogitatur? è vestigio, solicitum ingerit negotium, maior rerum fato prudentia Tua, quâ, omnium exempla temporum, velut præsentia intueris; præteritorum recordatione, futurorum prouisione, præsentia, pulchro ordine domi gubernas, & in publico gubernanda edoces. Quid? cùm florentissimum omnium virtutum regnum, quod sceptro prudentiæ regitur, & vinculo indissolubili cohæret, in Tua Purpura, totam maiestatem suam, præstantia

 quoq;

quoq; ingenia, formidine encomii imparis, percellentem, explicat? Inde, regalibus iuſtitiæ in ornamentis, ſanctitas, pietas, fides, rerum humanarum firmamenta, & verborum actorumq; arbitra, nullo picta fuco veritas, coruſcant. Latere ab alio, promicat, ſuauiſſima morum & affectuum temperies, aureis obligata compedibus, continentiæ; luxum, qui, ſpeciem virtutis ſæpe bonis imponit, perſtringentis. Ore manibuſq; tenùs, comitas, affabilitas, & rarum hominis bonum, humanitas, amica commercia & colloquia exhilarant; conſeruant authoritatem, non corrumpunt; quia nuſquàm in leuitatem degenerant. À cordato pectore, prominet, victrix adverſorum virtus, ſpem metumq;, animi conſtantiâ proculcans: non bonis, niſi à virtute profectis, gaudere; non contrariis, ſupra modum indolere; aſt illis benè vti, hæc, ſtrenuè vincere, pollens: arduum quoduis gloriæ, difficillimumq; virtutis iter, tàm aggredi fortis, quàm ad palmam vſq; perſeuerans ſuſtinere. vnde, quæ ſemel, animo Tuo rerum temporumq; ſcientiſſimo, ſententia inſedit; non illam tranquilla, non violenta poteſtas, ſua ſede dimouerit. Cuiusquamne, exuberans feliciſſimi eloquii flumen, magnus hic multiplicis gloriæ Oceanus, non abſorpſerit? cuius, vaſtam in fabricandis rerum imaginibus cogitationem, hic multiformis ſplendor non perſtrinxerit, augens admirationem, ſilentium non verba parientem?

Cæleſtes tamen, eximiarum Virtutum Tuarum, formas ſupereminet omnes, Tuum proprium, & verè regium opus, publica, in templa, Rempub: & literarum domicilia, Magnificentia: hæc aurea Phæbe, velut inter ignes minores, ventoſum omne peroſa, benè faciendi ſtudio; non vento rubet. hanc, ſol pietatis meridianis charitatis ignibus, in Te accendit; vt illâ, non tàm cum Tuis Maioribus, quàm cùm Superis ipſis, minimè

ambitioſè certare videaris. Nam templorum, quorum, alia iniurioſæ vetuſtatis vi, collapſa, alia ſciſſuris & pondere ſuo nutantia, hiantiaq́;, alia infeſtis abſumpta flammis, miro incomparabilis munificentiæ ingenio, in nouam ſtupendamq́; formam reparas, reficis; atq́; ſupra Epheſinæ Diannæ magnificentiam, mortalibus quidem materijs; at in ſæcula duraturis, Paria marmora, operaq́; Corynthia æquantibus, ſubſtruis; decor, celato auro, argento, & marmoribus radians, ſtellanti Regiæ Cæli æmulus refulget. His æternæ pignoribus gloriæ, Cælitum fauores, Tibi, Tuisq́; obligas: his viſendis machinis, cum vim Cælo intuleris, gratiam extundis: his in ſacratis adytis, Numen arcanum, ſi reſidet, procul hinc eſte profani. Pereat illa, quæ hactenus inualuerat, virtus ſæculi; ſed grande probrum Eccleſiaſtici generis; ampla priſcæ pietatis, diuinis dicata ritibus, patrimonia, in ſæcularem pompam vertere: quantum, quisq́; de dotibus Eccleſiarum ſumat, non quantum, & cui, impendere debeat; conſiderare: non jura, non neceſſitates; non ædepol, ſuæ ornatum Sponſæ noſſe; & tamen pretioſis eius ornari monilibus, ac decorari corona: potiùs hic eſt repudij libellus, quàm alternus amor. Non ita, cum Ioue de felicitate contenditur; de Regno Chriſti minuere, vt regnum ſæculi propagetur; familiæ ſplendor increſcat, gentis gloria per honorum gradus aſſurgat. non hac Cælum petitur via, Sacrorum moderatoribus: neu ego hac perrexerim in deuia, à Tuæ regione viæ, Magne PRÆSUL non recedo, ſed veſtigia Tua à longè adoro. Tu genere inclyto, virtute innumera, fortuna florente, honore Senatorio, quantò illuſtrior; tantò ſalutarior, ſacris Tuarum Eccleſiarum imperijs, priùs, per beneficij gratiam, quàm per ſpecioſam reuerentiæ apparentiam; innotuiſſe gaudes. quo fit, vt antequàm aduenias, tota humanitatis & gratiarum: nulla, in illo ca-

lentium gaudiorum æſtu, poteſtatis Perſona; in amo-
ribus omnium triumphes.

850 Quid mortalibus, igne fulmineo æther obnuntiet? Te præſertim Eccleſiarum Principes, certiorem Eli-
cium conſuluerint. Fortè, in experimentum Virtu-
tis Tuæ, ideam optimi Præſulis daturæ, Præſuleam
Luceorienſis Cathedræ, non Iouis Capitolini ædem,
in ipſo auſpicatæ inaugurationis Tuæ accinctu, ful-
men percuſſerat. In fauſtitatis ſignum, ſacros Cerau-
norum ignes, Cælo ſibi fulſiſſe, alius crederet: Tu mens
ipſa Tonantis, differre expectati celebritatem actûs,
tantiſper cenſueras; donec aliunde illatum damnum,
de Tuo reſarcires; & ſanabile vulnus, aureis fomentis
perſanares: ſplendidiùs longè ad auſpicatum ingreſſum
Tuum, in illa Baſilica Deum adoraturus: ex monitu
fulminum intelligens; gratiorem illi eſſe, templorum
altariumq; nitorem, quàm ſplendidiſſiimum quemuis
Pontificalis Curiæ, aut ſpectatiſſimi ingreſſûs appara-
tum. Quid magnificentius? quàm munificâ manu,
Cæli iniuriam compenſare: aſt quid ſanctius? quàm in
ſe vnicum viuumq; pietatis exemplar, Cleri animos ma-
gis, quàm oculos, ita conuertere: vt bonis honeſtisq; mo-
ribus ſanctior, viuere deinceps inciperet. Hæc eſt Tuæ,
longè latèq; per Orbem diffuſæ, pars maxima famæ,
ô PRÆSUL, non tantùm ſubiectorum Pastorali
Tuæ Curæ moribus, exemplo bonorum operum; eti-
am templorum ruinis & vulneribus, auro; ſanitatem,
cultum, pulchritudinem, reſtituere.

Quò altiùs, glorioſo meritorum ſucceſſu proue-
heris, maiora à ſummo exigi, reputans: citiùs iſta exe-
queris, quàm neceſſitas publica, deſiderium, expe-
ctatio, requirant. Ingrata ſcilicet ſunt, quæ extor-
quentur munera; ſi preces votaq; præueniant, gemina-
ri feruntur. Grandior Płocenſis Tiara, honorum
verticem Tuum coronat; ſed, & malorum Olympias,
quæ Patriæ, & Chriſtianitati impendet, grandius vber
habet.

habet. Gratis, vim beneficam, in summa Romanæ Religionis incrementa, exercueris; nisi etiam Rempub: Sacros Penates, Tutelaria imperiorum Numina, comprehendentem, salutariter respexeris. Extremum est, Basilica Diuino honori opera, magnifico impendio in altum exstruere; nisi defensioni publicæ, auro, quod bella gerit, & mucronibus imperat, nedum Sacras moles ædificat; hastatum auxilium præbeas. Hic, ego Tibi, post Sacram Trabeam, Paludato Præsuli,

*Arma Virumq; cano.*

Iuuat cum innocenti stylo, media inter prælia versari, nec in vltimis laudum Tuarum referre: infesta Turcarum agmina, Tuis quoq; armis palmam dedisse.

Plusquàm bina lustra peregimus, ex quo, ferox tot christianorum cladibus & insolens Byzantium, vanis capiendæ Viennæ spebus ebrium, vehementer intumuerat; atq; in excidium Christiani Nominis, totius Asiæ Vires, Ægyptum, Arabes, Æthiopes, & vltima Bactra armaverat. Sanè tempestas illa furentis Helesponti formidolosissima, Danubio superinfusa, Viennam & Alemannos perdere poterat; nisi gloriosissimus tanto bello ex fædere electus Imperator, IOANNES III Poloniarum REX, Serenissimus idem, & Tonans, contra bellorum Gigantomachiam; cum lectissimo Poloni exercitûs robore, properè adueniens, Helesponto compedes inijceret, & tumidos fluctus, frigido formidinis gelu, constringeret. Tanto tonitru perculsus immanissimus Turcarum Vezirius, in vna Urbe Austriæ propugnaculo, & Romani Scuto Imperij, totum Christianum Orbem, metu & atrocissimis armis premens, iamq; desiderij nobilissimæ prædæ sitientissimi compos proximus, in momento, spem, animum, despondit, equos, arma, Viros, & ditia castra amisit; postquàm Sarmaticus Iosue, inuictissimi pectoris Ancile, rebus Christianis Cæ-

lo prouiſum, vnum, omnia contra tela Barbarorum, in altum leuauit: poſtquàm res martia, ad Polonicos Triarios, immortale Haſtatorum militum agmen, peruenit. Miraris Magne ANTISTES, quorſum manſuetudini Tuæ Togatæ, obſtrepere videor, militum pugnantium clamore, tubarumq; ſono? nempe, Tu idem in acie tunc, cum fortiſſima Haſtatorum Tuorum Equitum Cohorte, quam benedictionis amuleto efficaciter munieras, pugnando vincebas: qui in templo, oratione feruens, pro fortiſſimo Imperatorum Rege, & pro illa victoria, omnium ſæculorum prodigio, ad Dominum Exercituum, manus leuabas. Quidni, in ſortem Triumphi peractis ſæculis inauditi, Te quoq; eruditorum pennæ, immortalitatis ſequeſtræ admittant? qui potiore parte, bellum illud & victoriam iuueris. Ibit in ſæcula, fuiſſe in Polonia Præſulem, qui domi Sancta Sanctorum tractans eximiè; etiam pro DEO, iuſta piaq; arma ſtringeret, & victrice dextrâ, authoribus victoriarum Diuis, victimam cæderet ſacraretq;, atq; inter pacificas Oleas, militarem adoream mereretur.

Quota pars inmenſarum laudum Tuarum, mihi memorata eſt? & iam immenſitate obrutus, vela dictionis contrahere cogor. Vtinam verò, ita mihi ſuppeteret, gemmea ſermonis profluentia; prout Præſuleam dignitatem Tuam, laudandorum gemmæ cum ſuo Erythræo circumfluunt PRÆSVL MAXIME, omnia pelagi rubentis nitentia dona, diuite, eloquio in laudes decusq; Tuum profunderem; conſtaretq; Orbi, quàm ſis, inter Purpurati Cætus ornamenta, gemmeæ diadema gloriæ, quàm ſis, auro Tuo, in ſplendidiſſimos Eccleſiæ & Patriæ uſus, profuſiſſimo, pretioſa gemma: quàm ſis, Clero populoq; Tuo, puriſſima morum cryſtallus, & vitæ integerrimæ adamas ſine umbra. Verùm, quandoquidem, modicus eiuſmodi opum o-

rator, Te in præualentibus margaritis, Orbi ſiſtere nequeo; talem exhibeo, qualem, unus tota Vultus in Kuiauia, Te ſibi gratulatur & vovet. cui inter plauſus & exultantium animorum hilaria; benedictione Pontificiâ annum gratiæ indulge, aurea ſæcula victurus. Glorioſum eſt, quod lectiſſimus Prælatorum Canonicorumq; ordo, ſacratæ ſenaculum Curiæ, Regalis ſacerdotij pars melior, fauſtis Te venientem precationibus conſalutat? quid, cum ſolius imprimis gloriæ DEI, perſpicuâ geſtorum expreſſione, ſtudioſiſſimum PRÆSULEM Te, ſacris coram altaribus, Diuorumq; imaginibus ſiſtas? qui id negotij iam aliàs glorioſè egeris. Magnificum eſt, poſt triſtia longæ orbitatis nubila, mille inter ſuſpiria languenti Sponſæ, optatæ lætitiæ Phæbum reducere? Quid, cum etiam beatiſſimi ſæculi lucem auream, templis accendere, non vano omine ſpondeas? qui Regiæ eiuſmodi magnificentiæ, in eadem Diœceſi Dantiſci; clarum iam ante documentum præmiſeris. Perquàm iucundum eſt, effuſiſſimis Cleri affectibus deſiderijsq; excipi? quid cum tot vindicijs iurium Eccleſiaſticorum palmaribus; cum tot collatis in ſimile genus hominum alibi beneficijs; ſtipatus venias? cum, & immunitatibus eorum potens præſidium, & Pontificiam benè meritis merentibusq; munificentiam, certò pollicearis? qui geminis hiſce præcellentibus bonis, velut pretioſiſſimis gemmis, tres iam INFULAS, abundè decoraueris. Specioſum eſt, affuſis vndiq; populorum examinibus; & hiantis præ lætitia vulgi, agmine denſo, circumfundi? quid? cum omnium rebus ſuccurrere, caſibus & fortunæ intercedere, ſtudeas? qui Jnfulatâ fronte alijs præminere, non aliud eſſe cenſes, quàm velle prodeſſe Vniverſis. Nihil in Te, tàm populare, quàm bonitas: nulla de virtutibus Tuis plurimis, nec gratior, nec admirabilior, beneficentiâ eſt. Veniunt

in partem plausuum Literæ, quibus (vt ait ille) vitam & sanguinem impendis: earum quidem præsides Deæ, Te in ipsa adyta admiserunt; cæterùm isti dignationi, immortalia Tua in literas beneficia, tantùm præstant;

*Puniceis quantum humilis saliunca rosetis.*

Nihil habet, nec natura Tua melius, quàm quod velis: nec fortuna maius, quàm quod possis; mitia bonarum artium imperia, vbiq; propagare. Eâ necessitudine obstrictam celsissimo Nomini Tuo, habes obuiam, Grandæuam illibatæ fidei Matrem, studiorum Regni operosam Magistram, ACADEMIAM CRACOVIENSEM; hæc Tibi Laureatos fasces submittit, & per sacram beneficamq; LUBRANSCIANAM dexteram, Præsulei cognatam vicem patrocinij implorat. Faue cano Capiti Pontifex optime; sic Te non fabulosa Berecynthia, per turritas Phrygiæ vrbes, magnanimis vecta leonibus; sed Pontificis sæculorum Mater semper augusta, & Virgo vndiq; singularis, Peraugusti Capituli Tui VLADISLAVIENSIS Tutela præsens, & Diuini stemma favoris MARIA, inter Cælestis lætitiæ Genios, & nutantes auspicatissimo ingressui Tuo, Vladislauiæ Turres; in sacrum ac nobile amplissimi Honoris Palanteum, fortunatissimè conducat. Sic Tuæ bonitati in nos propensissimæ, Consors supremæ Maiestatis REGINA cælorum, eum è voto Solenni Academico conciliet fauorem; vt cum Tua, Natalium, Virtutum, meritorum, celsitudo, sit Præsuleo honore maior; inter Eminentissimos Sacræ Romanæ Ecclesiæ Principes emineat.

TRABEATA.